



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

18. Sollicitudo Ecclesiæ, &c. XVIII. Pro Fratribus Minoribus Ordinis Sancti
Francisci. Sancta Pii V. Pont. Max. Constitutio pro Ordinibus Regularium
Mendicantium utriusque sexus edita, confirmatur; ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

1725.

Derogatio aliis constitutionibus adversariibus.

XI

Hæc omnia fieri, & servari statuimus, non obstantibus quibuscumque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis etiam speciali nota dignis, huic nostræ Constitutioni quomodolibet fortasse adversariibus, eaque præsertim, quatenus opus sit, quam felicis recordationis Pius IV. antecessor noster vulgavit de *registrandis*, itaut præsentibus literæ nostræ absque alia in Camera nostra Apostolica admissione, & registratione, validæ sint, suumque sortiantur effectum, non obstantibus quoque Urbis, civitatum, terrarum, oppidorum, villarum, & locorum quorumcumque juramento, confirmatione Apostolica, & quavis alia firmate roboratis statutis, consuetudinibus, reformationibus, decretis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis communitatibus, universitatibus, baronibus, aliisque prædictis, & quibusvis à Sede Apostolica, vel à nobis forsan concessis, ac etiam confirmatis, approbatis, & renovatis, quæ eis quoad præmissa, volumus suffragari, etiamsi talia essent, quæ sub generali expressione non venient, sed de illis specialis & individua mentio habenda foret in genere vel in specie, & sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis in contrarium præmissorum, quæ præsentibus quomodolibet obtare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis & expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, pro plene, & sufficienter præsentibus expressis, & totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat speciatim & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. XII

Volumus etiam solam præsentium signaturam nostram sufficere, etiam absque alia data, & registratura, regula quacumque contraria pariter non obstante.

XIII

Insuper hæc nostræ literæ in quavis forma expediri possint cum clausulis opportunis, eorumdemque litterarum transumptis, & typis impressis, manu unius Camere nostræ apostolicæ Notarii subscriptis, & sigillo alicujus ex Congregatione prædicta obsignatis, in iudicio, & extra plena fides adhibeatur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem idibus Octobris MDCCXXV. Pontificatus nostri anno II.

Placet motu proprio V. M.

Visa

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Registrata in Secretaria Rev. Camera Apostolica.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto Indictione tertia, die vero 17. mensis Octobris, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papa XIII. anno secundo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum, Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis in locis salis, & consuevis per me Franciscum Bartolottum Apost. Curiaforem.

Jo. del Rè Magister Curforum.

XVII. Concessio loci fixi ac perpetui, Officii Consultoris in Congregatione de sacris Ritibus, facta uni ex Clericis Regularibus S. Pauli decollati Barnabitarum nuncupatorum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut dilectus filius Marius Maccabei Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit ipsa Con-

gregatio de Sacris Ritibus ob tot in illis à q. Bartholomæo Gavanti, dum vixit, Clerico Regulari expressè professo ejusdem Congregationis exantlatos labores benemerita sit, dictus verò Marius Procurator Generalis unus ex Consultoribus Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium iisdem Sacris Ritibus præpositæ Consultor repertur, prout antehac alij suæ Congregationis Religiosi Consultores fuerunt, locumque fixum Consultoris hujusmodi eidem suæ Congregationi assignari summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè provide-re, & ut infra indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur erga primodictam Congregationem aliquod Paternæ nostræ benevolentia monumentum extare, ipsumque Marius Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus locus Consultoris secundodictæ Congregationis Cardinalium uni ex primodictæ Congregationis Professoribus concedi, & assignari debeat, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium decernimus & ordinamus. Præterea dilecto pariter filio moderno, & pro tempore existendi Præposito Generali ejusdem primodictæ Congregationis per easdem præsentibus præcipimus, & mandamus, ut eidem Mario Procuratori Generali octoginta scuta moneræ pro ejus decenti subsidio facta distributione pro rata super Collegiis suæ Congregationis assignari faciat. Decernentes pariter quamcumque collationem, concessionem, assignationem, aut aliam dispositionem de dicto officio aliter facien., & litteras deluper confectas, etiam quascumque derogatoriis derogatorias, ac alias, & fortiores, & efficaces clausulas in se continentes, etiamsi in illis de præsentibus de verbo ad verbum, & cum illorum totali insertione mentio haberetur, & illis expressè derogaretur, & quæcumque pro tempore inde secuta, nulla, irrita, & inania, nulliusque fore roboris, vel momenti, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. prædictæ Cardinales judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis Clericorum Regularium, & Collegiorum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Octobris MDCCXXV. Pontificatus Nostri anno secundo.

F. Card. Oliverius.

1. Octobr. 1725.

XVIII. Pro Fratibus Minoribus Ordinis Sancti Francisci. Sancti Pii V. Pont. Max. Constitutio pro Ordinibus Regularium Mendicantium utriusque sexus edita, confirmatur; Ordo Fratrum Minorum regularis & strictioris observantia, inter quatuor Mendicantium Ordines comprehensus, privilegiis ea contentis gaudere jubetur; ab om-

1725.

nium vectigalium onere, & literarum solutione, præferim in dominiis S. R. E. perpetuo eximitur, aliisque gratis Apostolicis cumulatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I.
Summi Pontificis amor eiga Ordines Regulares, præferim Mendicantes.

Sollicitudo Ecclesie universalis, per honorum omnium largitorum nobis injuncta, exigit, ut religiosos Dei famulos, eique placentes Ordines Regulares, præferim Mendicantium, qui relictis mundi illecebris, & arctam viam quæ ducit ad vitam, ingressi, sequuti sunt dominum Redemptorem, gratis Apostolicis fovete, & modis omnibus propugnare studeamus. Ea propter antecessor noster beatus Pius Papa V. erga eosdem Ordines Mendicantes pontificiam benevolentiam ostensurus, eis literas tenoris sequentis indulsit:

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

II.
Sanctus Pius V. Ordines Mendicantes utriusque sexus, & res eorum à quibuscumque exactionibus & vectigalibus eximit.

Dum ad uberes quos sacri Mendicantium Ordines in agro Dominico quotidie faciunt fructus, attentè respicimus, & attentè considerationis indagine perferutatur ipsorum Religionis sinceritatem & voluntarie paupertatis habitum, in quibus sub humilitatis spiritu devotum Altissimo præstant famulatum, dignum, quin potius debitum, reputamus, ut illis ea libenter concedamus, per quæ, femotis quibuslibet gravaminibus, promptiores ejusdem Altissimi inhæreant servitii. Hinc est, quod nos volentes eosdem Mendicantium Ordines, & dilectos filios eorum fratres & monachos, ceterasque personas, ac etiam moniales quaslibet ejusdem Ordinis, sub illorum cura degentes, specialibus favoribus & gratis prosequi, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus omnes & singuli Mendicantium Ordinum hujusmodi fratres, monachi, & dilectæ filiæ in Christo moniales, seu sorores, & aliæ utriusque sexus personæ regulares ubilibet per totum Christianum orbem diffusa & constituta, illorumque monasteria, cœnobîa, domus, conventus, ecclesie, cappellæ, oratoria, & alia loca, etiam unita, ac membra & dependentia, nec non terræ cultæ & incultæ, possessiones, prædia, agri, & alia omnia & singula mobilia & immobilia, ac se moventia, & ubilibet, ac in quibuslibet rebus consistentia bona, nec non eorum in dictis bonis laborantes, coloni, arrendatarii, locatarii & affictuarii, negotiorumque suorum gestores universi, quomodolibet nuncupati, nunc & pro tempore existentes, in perpetuum ab omnibus & singulis exactionibus tam urbanis, quàm rusticis, nec non datis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, collectis, impositionibus, & oneribus ordinariis & extraordinariis, ac tam realibus, quàm personalibus, meris & mixtis, etiam subsidio triennali, & augmento, ac facultatibus, equorum taxis, militumque hospitii, ac aliis quibuscumque nominibus nuncupatis, quavis auctoritate quomodolibet impositis & imponendis, & quæ laicis, ac aliis quibusvis quomodolibet imponi consueverunt, in futurum imponentur, ac ratione quatuordecimque mercium, & rerum cujuscumque generis, vel qualitatis existentium, tam per mare & aquam dulcem, quàm per terram undecumque, & quomodocumque pro tempore delatarum; nec non animalium quorumcumque, mortuorum & vivorum, & quæ aliis quomodolibet, & ex quavis causa, ac super quibuscumque rebus tam in alma Urbe nostra, quàm extra eam ubilibet locorum exiguntur, & in futurum exigentur, nec non à contributionibus & solutionibus in illis faciendis, ac tam pro victu & vestitu, quàm quocumque alio usu suo tantum, ac tam emendo,

quàm vendendo, & aliis quomodolibet negociando; nec etiam à solutione quadrantis pro singulis libris carniæ de animalibus, quæ nunc, & pro tempore ex armentis occidi contigerit; nec non etiam quæ in suis ædibus, prædiis & possessionibus privatis detinent, & nutriunt, ac à contributione sumptuum, & expensarum, quæ aliquando pro pontibus, viis, aqueductibus, maris, mœnibus, aliisque machinis struendis & reparandis, seu reficiendis, ac civitatum, terrarum & locorum quorumcumque fortificationibus; nec non etiam aliis in omnibus, & per omnia, ac tam in dicta Urbe, quàm extra eam ubilibet penitus, & omnino liberi, immunis, & exempti, ac liberæ & exemptæ, liberaque, immunia, & exempta sint, & esse censeantur, ac pro talibus teneantur, & reputentur: quodque terræ, agri, possessiones & loca arativa, ut præfertur, in illis, quæ aliquando pro pascuis animalium ad certum tempus reservantur, nullatenus unquam comprehendantur, nec comprehendi censeantur: ac etiam monasteria, cœnobîa, aliaque omnia regularia loca prædicta pro quorumcumque militum tam equitum, quàm peditum hospitii, quemadmodum magno cum nostro dolore hucusque in plerisque locis factum comperimus, nequaquam assignentur, nec assignari debeant.

Et insuper, quod fructus, redditus, proventus, introitus, & alia quæcumque bona monasteriorum, cœnobiorum, & aliorum locorum Regularium prædictorum ab aliis, quàm à syndicis & procuratoribus religiosis, fratribus, monachis & monialibus, aliisque personis præfatis exigi, illaque dumtaxat in beneficium loci, & sustentationem ipsorum religiosorum, fratrum, & monialium expendi, nec per alios quoscumque, quovis nomine censeantur nec in alium, quàm præmissum usum converti, seu expendi possint, neque debeant, nisi de consensu Superiorum illius loci, cui data, vel consignata, aut donata fuerint, seu ad quem aliis spectabunt: nec etiam soli tutores, aut curatores, seu protectores, & alio nomine sanctissimi, aut aliis nuncupati, de eisdem bonis ullo modo disponere possint: quodque idipsum etiam de elemosinis, oblationibus, & quibuscumque aliis donativis intelligi, & observari debeat, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium perpetuo statuimus, ordinamus, volumus, & declaramus: nec non fratres, monachos, moniales, ac alias regulares personas, eorumque monasteria, cœnobîa, conventus, ecclesias, cappellæ, oratoria, & alia loca, ac terras, possessiones, prædia, agros, & bona, nec non laboratores, colonos, arrendatarios, affictuarios, ac gestores, prædicta, ut præfertur, immunia & exempta eisdem auctoritate & tenore, facimus, ac fore, & esse decernimus.

Mandantes præterea dilectis Filiis modernis, & tempore existentibus Camera Apostolicæ Cameraario, Præfidentibus, & Clericis, ac Commissariis, Agentibus, & Officialibus quibuscumque, ut omnibus, & singulis tam virorum, quàm mulierum Monasteriis Mendicantium Ordinum hujusmodi, existentibus sub ditione nostra temporali mediâtè, vel immediâtè constitutis, tantum sal, quantum pro eorum usu suffecerit, singulis annis, omni dilatione cessante, & contraditione remota, contribuere, & assignare, ac contribui, & assignari facere debeant realiter, & cum effectu, districtius etiam in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac excommunicationis majoris lætæ sententiæ, ac duorum millium ducatorum auri de Camera, pro una Basilicæ Sancti Petri de Urbe, & pro altera, medietatibus, singulis, monasteriis, & locis, præfatis, quæ molestari, seu perturbari contigerit, irremissibiliter applicandorum, penis, eo ipso, si, & quoties contrafactum fuerit, incurrendis: inhibentes tam illis, quàm dilectis Filiis Legatis, Vicelegatis, gubernatoribus, potestatibus, datiorum,

1725.

III.
Res Mendicantium in alium, quàm in eorum usum, non impendantur, nisi Superiorum consensu.

IV.
Sal, Mendicantium usui necessarium, ex camera Pontificia erogetur.

gabellarum,

1725.

gellarum, onerum, & aliorum præmissorum exactoribus, conductoribus, & appaltatoribus, nec non quibusvis universitatibus, & communitatibus, illarumque officialibus, & personis, aliisque quibuscumque, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, quatenus præmissa omnia & singula inviolabiliter, & perpetuò observent, ac ab omnibus observari faciant, neque Fratres, monachos, moniales, & alias religiosas personas, aliosque supradictos super præmissis quomodolibet molestant, & perturbent; neque permittant, per quoscumque quomodolibet molestari, seu perturbari. Ergo si quis contradicere, aut quovis modo contravenire præsumperit, per mandatum executivum contra ipsum quoscumque dignitatis, status, ordinis, vel præminentie fuerit, ipso facto procedi, & sic per quoscumque iudices, & commissarios quavis auctoritate fungentes, subacta eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & definiri debere: & quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

V.
Publicatio,
executio &
defensio
hujus litterarum ferio
injungitur.

Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, vel eorum Vicariis in spiritualibus, generalibus; nec non dilectis filiis curie causarum Camere Apostolicæ Auditori, ac abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, canonicis & capitulis, ac aliis quorumcumque ecclesiarum prælatis, & personis ubilibet & in quibuscumque regionibus, terris & locis existentibus, ac aliis, ad quos quomodolibet spectat & spectabit, per præsentem motu simili mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel per alium, seu alios præsentem litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum, monachorum, monialium, aliarumque religiosarum personarum prædictarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos & eorum singulos, statuto, ordinatione, voluntate, declaratione, constitutione, deputatione, mandato, inhibitione, decreto, aliisque præmissis pacifice frui & gaudere; non permitentes desuper per camerarium præfidentes, clericos & commissarios camere hujusmodi; nec non legatos, vicelegatos, gubernatores, collectores, gabellarios, & exactores prædictos, aut quoscumque ad aliquam solutionem, contributionem, vel prestationem, præmissorum occasione quomodolibet faciendam, quovis modo cogi & compelli, aut aliis contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari; aut inquietari: contrafactores quoscumque, & rebelles per prædictas, aliasque opportunas censuras & penas, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis, servatis processibus, censuras & penas hujusmodi incurrisse declarando; interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

VI.
Pro hac
constitutione servanda
ceteris quibuscumque
derogatur.

Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus diatris, dummodò ultra tres diatras aliquis auctoritate præsentium non extrahatur: ac omnibus illis, quæ in contrarium per quoscumque officiales, & quovis alios, ac præsertim per officiales civitatis nostræ Bononiensis, & quovis alios adducta sunt hæcenus, & deducuntur imposterum, ac adduci, & allegari possent: nec non quibuscumque iudicibus, etiam palatii nostri causarum Auditoribus, ac S. R. E. Cardinalibus super præmissis inter quoscumque quomodolibet pendentes, ac etiam instructis, & ad sententiam deductis, vel etiam à sententia terminatis, nisi in favorem Ecclesie fuerint, & præsertim quædam littere inter hujusmodi regulares, ac cives & commu-

1725.

nitatem dicte civitatis Bononia in Romana curia pendentes, quas & quam, ac omnes processas, & scripturas, productas, & producendas, ac registras, & sententias ubivis comparentes & latas, ac fendas, ad Nos advocamus, & penitus extinguimus, cassamus, annullamus & delemus, perpetuumque desuper silentium imponimus, nec non quibusvis Apostolicis, ac in provincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus etiam contra exemptos quomodolibet editis & edendis, ac etiam decreto, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: privati quoque, indultis & literis Apostolicis, illis, & eorum singulis sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, & in specie, etiam motu simili, ex certa scientia, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium concessis & approbatis, ac innovatis: quibus omnibus illorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permanentibus, hæc vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communitate, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 29. Julii 1566. pontificatus nostri anno primo.

Cum autem, sicut accepimus, Fratres Minores regularis observantia, sancti Francisci nuncupati, licet contextum regulæ sub uno & eodem ministro generali, totius Ordinis ad litteram profitentes, non solum inter quatuor præcipuos Mendicantium Ordines connumerentur, verum etiam ob perfectissimam, quam profitentur, paupertatem, & in particulari ac in communi summa & peculiari ratione præ aliis habendi sint; proptereaque omnibus & singulis libertatibus, exemptionibus, & facultatibus, privilegiis, & indultis, & in vim præsertarum litterarum omnibus Mendicantium Ordinibus concessis, omnimodè, ac plenè frui, potiri, & gaudere debeant; nihilominus super vectigalium, gabellarum, dationum, & pedagiorum, aliorumque onerum & impositionum solutione ab illorum & illarum exactoribus perperam, & non sine eorumdem Fratrum Minorum, & ab eis strictè professæ paupertatis, detrimento, olim, & nunc etiam, eos in iudicium trahi, vexari, perturbari, ac assidue molestari contingat; Nos ad evellendam omnem quæstionis materiam, & attendentes, quod Fratres Minores prædicti propterea quod ipsi, ut præfertur, actu mendicent, & verè nudam profiteantur paupertatem illam, quæ terrenis ubique destituta bonis se divitem exhibet Altissimo; meritò eos specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes; nec non ipsos, & eorum singulas personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, censuris, & penis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; nec non quarumcumque litium, & causarum status, & merito, nomina, & cognomina iudicium, coram quibus illæ pendunt, ac collitigantium, aliorumque nec non quorumcumque aliorum privilegiorum, & indultorum facultatum, exemptionum, & immunitatum, eis quomodolibet concessorum, præsentibus pro expressis habentes, causasque hujusmodi ad Nos harum serie advocantes, illasque penitus, & omnimodò extinguentes, ac collitigantibus hujusmodi perpetuum super præmissis silentium imponentes, motu

VII.

Fratres Minores regularis observantia Sancti Francisci, inter quatuor Ordines Mendicantes cõprehensis, omnino gaudeant privilegiis & exemptionibus Ordinis Mendicantium.

proprio,

1725.

proprio, non ad eorumdem Fratrum Minorum de observantia super hoc nobis oblata petitionis instantia, sed ex certa scientia, meraque liberalitate nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, & indulta, in eisdem præinsertis literis contenta, ac omnibus, & singulis Ordinibus Mendicantibus in communi, ut præmittitur, concessa eisdem Fratribus Minoribus, sive regularis, sive strictioris observantia nuncupatis, ita quod ipsi impofterum de omnibus & singulis, quæ absolute eorum victum & vestitum, ac religiosum usum, & commercium concernunt, quidquam dationum, & gabellarum, & vectigalium quibuscumque, & quomodocumque, per illos solvi debere prætendentibus, solvere minime debeant, speciatim, & expresse Apostolica auctoritate perpetuo concedimus.

VIII.
Fratres Minores observantes S. Francisci à quibuscumque vectigalibus ubique, præsertim in terris S. Petri perpetuo immunes.

IX.
Iidem Fratres Minores eximantur à solutione litterarum quæ per tabellarios publicos ad eos perferuntur.

X.
Has litteras Apostolicas perpetuo servandas, & valituras decernitur.

VIII.
Ac insuper eisdem Fratres Minores ubique terrarum, & præsertim in ditione nostra temporali ab omnibus dationibus, vectigalibus, præcipue super frumenti commolitione, vino, oleo, carne, animalibus etiam vivis, tam empis, quam aliis, quæ eisdem Fratribus Minorum pro elemosyna offeruntur, & quocumque alio comestibili: lanis ad eorum vestimenta necessariis, portu etiam, tam maris, quam fluminum: gabellis in exitu, & ingressu terrarum, locorum, & civitatum, aut transitu pontium, & viarum, seu etiam in doganis quomodocumque, nunc impositis, & impofterum pro tempore quomodolibet imponendis etiam, plenè, & expresse d. Apostolica auctoritate similiter in perpetuo eximimus, & liberamus, eoque à præmissis omnibus, & singulis aliis dationibus, gabellis, & oneribus, etiam si ceteri Mendicantes ad ea teneri dignoscantur, nec ab eis censentur esse exempti, perpetuo immunes, & exemptos esse volumus, & declaramus.

Ac præterea ulteriori eorumdem Fratrum Minorum de observantia indemnitate consulere volentes, motu simili, eos, & eorum quemlibet à solutione portus omnium, & singularum simplicium epistoliarum in semifolio scriptarum, ad eorum quemlibet à quacumque regione pro tempore advenientium, necnon etiam aliarum duplicium, & in folio scriptarum, eorumque involucriorum, à tabellariis deferri solitorum, quæ per Ordinis Superioris eorum subditis, & per eisdem subditos ipsi Superioribus cum eorum publici sigilli munimine; non autem quæ sine munimine huiusmodi alicui ex eis particulariter diriguntur; pro quibus scilicet duplicibus sine munimine huiusmodi sic directis aliquod munus, aut debitum sibi emolumentum ab eorumdem Fratrum Minorum de observantia conventibus, seu domibus præterdere, seu ea liberè, si tabellarii ipsi velint, relaxare possint, eadem Apostolica auctoritate eximimus, & liberamus.

Decernentes quoque præinsertas litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari ullatenus posse; minusque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, & aliis contrariis dispositionibus tam per nos, quam etiam per successores nostros quomodolibet, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis pro tempore factis, & faciendis, quorumcumque tenorem existant, includi; sed, illis non obstantibus, in suis robore, & efficacia persistere: & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, etiam sub data per ipsos Fratres Minores de observantia prædicti Ordinis eligenda, de novo concessas esse: & ita incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ esse: & ad hoc, & perpetua firmitate subsistant, vim validi, & efficacis contractus inter dictam Sedem, &

prædictorum Ordinum Mendicantium Fratres huiusmodi habere: sicque per quoscumque iudices & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis alias iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere: irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quo circa dilectis filiis nostris S. R. E. Cardinalibus in Bononiensi, Ravennati, Ferrariensi, & Urbanensi civitatibus nostris nunc, & pro tempore existentibus de latere Legatis, ac dilecto filio curiæ causarum Camere Apostolicæ generali Auditori per præsentem committimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentem literas, & in eis contenta quocumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Minorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsos Fratres Ordinis Minorum huiusmodi voluntate, statuto, declaratione, & aliis præmissis omnibus & singulis pacificè frui, & gaudere, non permitentes eos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari: contradicentes quolibet & rebelles per sententias, censuras, & penas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo: & nihilominus legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & penas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantibus præmissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri una, & Concilii generalis de duabus diebus quis vigore præsentium ad iudicium non extrahatur, & aliis: necnon in provincialibus & synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus quoque, & aliis decretis in genere vel in specie, & quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros prædictos, ac nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, etiam consistorialiter, & de Fratrum nostrorum consilio, necnon Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hoc vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Volumus præterea, ut eorumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus ex secretariis generalibus dicti Ordinis, aut notarii publici subscriptis, & sigillo officii, ministri, aut Commissarii generalis, vel procuratoris Ordinis præfati, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam

1725.

XI.
Harum publicatio, defensio, & executio, sanctæ Sedis Apostolicæ ministeris injungitur.

XII.
Pro hac Confirmatione servanda aliis quibuslibet derogatur.

XIII.
Harum exemplaribus, eorum ad quos pertinet, manu & sigillo munitis plena fides adhibeatur.

XIV.

nostræ

1725.
Nemo
has literas
Violare au-
deat.

4. Idus
Decemb.
1725.

nostræ confirmationis, invocationis, approbationis, abolitionis, exemptionis, liberationis, voluntatis, declarationis, decretis ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto iv. idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

M. Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*
Vifa de Curia J. C. Archiepisc. Ancyranus.
Lucas Martinettus.

XV.

Sanctissimi D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia P A P E XIII. Concessio Privilegiorum pro nonnullis suis Familiaribus.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabilibus Fratribus Nicolao Maria Lercario Nazianzen. Cubiculi nostri Præfetto, Prospero Marefusco Casarien. Auditori nostro, Nicolao Coscia Trajanopolitan. Libellorum supplicum nobis porreditorum, Camillo Merlini Iconien. Notarum arcanarum, & Carolo Majella Emsen. literarum nostrarum in forma Brevis, que ad Principes scribuntur respectivè Secretariis, ac Josepho Accorabonno Philippen. Archiepiscopi Subdatario, Nicolao Augustino de Abbatibus Oliverio Porphyrien. Sacarii nostri Præfetto, Francisco Antonio Fini Avellin., & Dominico de Rubis Vulturarien. Episcopis, nec non dilectis filiis Philippo Coscia Vicario in Civitate, & Diocesi Beneventan. à Nobis deputato, Nicolao Albini Vestiario, & Elemosynario Secreto, ac Nicolao de Simone Beneventan., Nicolao Xaverio Santa Maria Salernitan., Joanni Vincenti Reatin., Bernardo Pizzella Trivenin., Francisco Pacca Neapolitan., Januario Vitelli Pincerna, & Francisco Acolefi Beneventan. Architrucino, Hieronymo Columna Forero Majori, Octavio Rinaldo de Bubalo à Valle, & Philippo Astalio Romanis Cubiculariis intimis, seu Secretis, Michaeli Angelo de Paulis Pisaven., & Joanni Baptista Nuccarini Fulginaten. Medicis secretis, Dominico Prati Britinorien., Ignatio Clementi, & Januario Genovesi Beneventan., Paschali Ferrari Nolan., Ignatio Philippo Pierfanti Camerinen., Nicolao Schinosi Beneventan., & Michaeli Angelo Troysi Minervien. Cappellanis secretis, Josepho Longo Beneventan., & Januario Santa Maria Nolan. Clericis Cappella nostre secrete, Dominico Eustachii Beneventan., Dominico Martino Firman., Donato Antonio Civitella, & Antonio Ferri Beneventan., Andrea Jannes Prænestin., & Andrea Coppola Beneventan. respectivè Civitatum, vel Diocesium Cubiculi nostri adiutoribus, ac Julio Silvaggio Romano Magistro Domus nostre, Clericis, seu Presbyteris, vel Laicis familiaribus continuis commensalibus nostris salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id aliâ propria virtutum merita commendant, honoris, & famæ amplioribus præconiis, ac præclaris dignitatum titulis decorare, & ornare, nec non specialis benevolentie favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire. Hinc est, quod Nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, & quilibet vestrum Nobis hæcenus impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, nec non ad vitæ ac morum honestatem, aliæque laudabilia probitatis, & vir-

tutum merita, quibus personas vestras etiam familiari experientiâ juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiæ, ac specialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo sublimare volentes, Vosque, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; Motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & certa scientia nostris, ac de Apostolica potestatis plenitudine, Vos, & quemlibet vestrum respectivè in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios (sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium) Apostolica auctoritate tenore præsentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aula Lateranen. Comites, nec non auratæ Militiæ Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionen., Bononien., Ferrarien., & Beneventan., omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Romanæ Ecclesiæ mediata, vel immediatè subjectorum Cives, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, prærogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, nec non Palatii, & Aula hujusmodi Comitum, & Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus, & conscribimus; Vobisque etiam si Habitum, & Rocchetum Notariorum dicte Sedis juxta decreta Lateranen. Concilii novissimè celebrati non deferatis, aut Civitates hujusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus ceteri omnes Notarii nostri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citrà tamen exemptiones à Sacro Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceatis Ordinariis, ac citrà facultates legitimandi, ad gradum promovendi, Notarios, seu Tabelliones creandi, aliæque hujusmodi privilegia à Notariis, & comitibus præfatis præsentia; ita ut illis nullibi uti valeatis; ac irritum, & inane existat quidquid secus per vos, aut quemlibet vestrum respectivè attentari contigerit) nec non Cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, ac secularium, etiam ex personis Romanorum Civium originariorum vacantium allocatione, & exercitio tam in Urbe, quam in omnibus, & singulis Civitatibus prædictis, & aliis ubique locorum, & gentium, necnon sessionum, & conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps nomine vestro conficiendis Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanæ, & aliarum Civitatum, & Terrarum Cives, prout libuerit, Vos inscribere, & illis subscribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus habeamini, nihilque, quaecumque illud fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium, vel obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censetur; nec non honoris causâ insignia gentis nostræ sive integrè, sive cum vestris respectivè composita gestare

1725.